
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA
NAZ. CENTRALE
DI FIRENZE
1034
40


40

IN FVNERE
IACOBI ANGELII
EQ. D. STEF. ET VOLATER. PR.

Iuris Ciuilis primo loco Interpretis in Gymn. Pisano

NENIA.

Anselmi Colectij Bargai.







PISIS. Apud Ioannem Fontanum. MDCIX.

Superiorum permissu.

IN FVNERE
IACOBI ANGELII
EQ. D. STEP. ET VOLATER. PR.

Iuris Ciuilis primo loco Interpretis in Gymn. Pisano

NENIA.

Anselmi Colettij Bargei.



PISIS. Apud Ioannem Fontanum. MDCIX.
Superiorum permissu.




AD IOANNEM IACOBI F. ANGELIVM I. C.

EPIGRAMMA

Anselmi Colectij Bargæi.

Accipe Ioannes lacrymas, quas funere Patris
Luctificis fudit Nenia mæsta sonis.
Accipe. sed postquam lacrymas, & iusta Parenti,
Tantus & exposcit quanta dolor dederis;
Iam tandem vt lacryma, desideriumq; remittat
Patris, te dignum fingere perge Patre.
Omnis enim dolor, & lacryma tunc iure recedent,
Instar cum tanti Tu Genitoris eris.



NENIA.



Ortem triste sonant mæstam late æra per vrbem,
Et tuba feralis concinit exequias.
Nenia solue comas. causa venit vbere luctus.
Lugubre funus adest. Nenia solue comas.
Fletum cuncta mouent. cuncta alti signa doloris.
Syrmate nec tu non funebri operta venis.
Turba Sacerdotum, funalia, bulla, Crucesq.,
Tura, faces circum. Nenia solue comas.
Atq; hic flebilis infelici asside pheretro,
Teq, tuis dignam finge ministerijs.
Nam quis possit inexhaustas inhibere querelas?
Talia quis cernens temperet à lacrymis?
Hic iacet Angelius (leti o fera iura) Iacobus?
Hoc anima tanti corpus inane Viri?
Occidit Angelius. Quis non crudelia dicat
Astra? Quis effuso non riget imbre sinum?
Iam fuit Angelius dicetur: eritq, superstes
Nil nisi de tanto puluis, & ossa Viro?

Tanta

Tanta ne, totq; animi, tot honorum præmia, tantam
Laudum materiem hinc abstulit vna dies?
Nec, vel quæ tanto struxit studio ille laborum,
Vllus, qui in medium scripta recludat, erit?
Ne caries absumat edax, cæcæq; tenebræ
Obruta cum Domini funere & illa sui?
Magna sit vt saltem per secula longa superstes
Fama Viri, quando cætera funus habet?
Et quis io interpres sacrarum ænigmata legum,
Quis iuris soluet vincula Cæsarei?
Quis vario sermone artes percurret honestas,
Doctrinæq; omnes, ingenijq; vias?
Mella quis Aonidum delibet dulcius? omnes
Vberius quis iam verset & historias?
Gymnasij columen Pisani immobile magnus
Si ruit Angelius, Gymnasiumq; ruet.
Nec fultura tibi non o subducitur ingens
Magnanimorum Equitum nobile Collegium.
Quorum albo adscriptus, meritis quæ debita magnis
Gloria, magna fuit gloria Collegij.
Magna præcingens magnum Cruce pectus, & ostro,
Crux Equitum primos qualis, honosq; decet.
Tu quoque præ cunctis, prisco longe inclyta ab æuo
Vrbs Volaterræ altis montibus imposita,
Iacturam facis insignem, cui Præside tanto
Erepto, tantum subtrahitur decoris.
Sed nos, nos cladem ante alios accepimus omnes,

Altius

Altius hoc vulnus nostra sub ossa subit.
Vnde domo, patriam meritis æquabat Olympo?
Tollebat meritis ardua ad astra domum.
At nunc exanimum, corpusq; exangue videre est,
Vocibus & possum parcere luctisonis?
Ille ego præcipue, hoc qui duce, & auspice doctis
Excolui chartis, ingeniumq; libris?
Eductusq; domo, & magnis hortatibus vltro
Formatus Latijs, Cecropijsq; modis?
Ferreus, & meriti meritò ferar immemor, vt non
Extrema hæc dedam munera ad exequias.
Et frontem feriam, insanis fædem vnguibus ora,
Instem & inexpletis luctibus obsequio.
Quando aliud nequeo: infelici explere dolorem,
Et tuber hoc liceat reddere poste caput.
Crudeles Parcæ, crudelia sydera, non vos
Hoc scelere in castas pectora fusa preces
Auertere? Viri non tanti gloria? frustra
Iam ingenuas artes, ingeniumq; colas.
Humanum nox vna manet genus omne, necesse est
Hac omnes vna nocte operire dies.
Quæ tua sæuities fera mors extinxe tot amplæ
Tempore tam angusto lumina magna domus?
Quæ laus euectam suprema ad culmina gentem
Vertere, & infaustis mergere funeribus?
Laudi nulla fides. Magnum petis atra poetam,
Ingentemq; neci das inimica Petrum.
Cecro-

Cecropiæ, & Latiæ exemplum admirabile linguæ,
Gratum & amicitijs, principibusq; viris.
Longinqua Hesperias acies qui in bella volentes
Egit, & audaces per iuga summa canes.
Naiades AEsarides cuius stupuere canentis
Melle vel hybleo dulcius ore melos.
Gallia Rexq; sibi, sibi quem Florentia vatem,
Roma sibi, Medices quem voluere Duces.
Sed forte hoc ferri poterat, sat vixerat æuo,
Et famæ: absumpsit cana senecta senem.
Quid quos olli (ingens tua quæ inclementia) acerba
Morte prius fratres surpueras geminos?
Egregios fratres, immensum euexit vtrosq;
Quos Flora, & Medicum regia magna Ducum.
Alterum, Apollinea qui tot seruauit ab arte
Flora tuos ciues, eripuitq; neci.
Tradendaq; iuuentuti ratione medendi
Grande decus Pisis, Gymnasioq; fuit.
Alterum honestatum mytra, lituoq; recuruo,
Diuinisq; datum rebus, & Officijs.
Massano populo curantem pabula sacri
Eloquij, & casta cætera sacra manu.
Insignem pietate virum, cui pectore honestum
Longo vsu incoctum, & pura animi integritas.
Vt taceam linguæ laudem graiæ atq; latinæ,
Quo fuit haud aliud cultius ingenium.
Quo increpitante agris acridas, viridesq; locustas

Excel-

Excessisse, vltra nec redijsse ferunt.
Tanta viri bonitas, summoq; accepta Tonanti
Intemerata fides, virgineusq; pudor.
Tu tamen inuertis, fus deq; fidemq;, pudoremq;
Illæsum, & precium virginitatis habes.
Nec satis hoc visum indignum, nisi quatuor octo
Sæuior intra annos perpetuare neces;
Alterum in alterius mersisses funere fratres,
Angeliæ columen præsidiumq; domus.
Patre alio, & Genitrice satos in stemmate eodem,
Florem hominum, & Tusci lumina magna soli
Lumina magna, huius quaqua patet ambitus orbis
Littore ab Eoo littus ad hesperium:
Quorum hic postremus, modo cuius luce carentis
Ante (nefas) oculos frigida membra iacent.
Quippe nocet virtus: Meritis ingentibus ingens,
Intentusq; amplo Iulius Hospitio,
Spiritus imposuit sanctus cui nomen, honestans
Præclarum officij nomen & officium,
Vnus erat populi rumor, populo vnus in omni
Monstrarii digito, & prætereuntum oculis.
Iamq; oltro proprior: Sed tu vicina galeri
Præmia, spesq; nouas inuidiosa rapis.
Nec mora, Nicoleum, bis senos sacra patronos
Inter quem Sacri Curia Concilij
In tantum extulerat, non notior alter vt esset
Pontifici sacro, Concilioq; Patrum.
Iure

Iure patrocinij, & morum candore; supremo
Pontifici ereptum, Concilioq; Patrum
Infando immergis fera leto. Ac ne quid in omni
Angelij vltra sit nominis vrbe super;
Adijcis huic Cosmum, cuius commissa fideli
Vrbs Corton curæ, iusq; pedumq; gregis.
Pastorem populorum, custodemq; sacrorum
Eripiens populis muneribusq; pijs. (lendi
Quæ seges hæc leti? quam immensum immensa do-
Copia, inexhausti congeriesq; mali?
Vnus adhuc reliquus, cũctorumq; hic instar et vnus,
Ingens ingentis nomen honosq; domus.
Vnus, at omnes qui poterat sarcire ruinas,
Quæq; tot addideras funera funeribus.
Sed tu bis denos olli obluctata per annos,
Tu nimis ò nostris insidiosa bonis,
Hunc quoq; funesto fera leto perculis vnum,
Et quartum ereptis addis iniqua tribus.
Ergo ingens premet Angelium sopor, obruta somno
Pectora qui solitus cuncta leuare graui? (est
Ergo luminis expers, qui modo quicquid Hetruscũ
Vnus latè omnis luminis instar erat?
Cuius & ad laudem incaluit tam incensa iuuentus
Voce, gelu hic longe frigidiorq; niue?
Heu mors, heu nostri nimium secura doloris,
Nos vt habes miseros, nostraq; ludibrio?
Ergo non poteras (minor hunc an visa potestas

Pręteriens?) tantum præterijsse caput?
Anne modum nescis seruare, nimisq; superbe
Te te effers nostris imperiosa malis?
Qua tantam hæc meruit cladem gens fraude? clienti
Non alia auxilijs officiosa magis,
Purior aut sceleris, defendendoq; pudori
Pronior, aut propior moribus innocuis.
Sed quo vita insons, & nescia fallere porrò?
Quo pudor, & recti iustitiæq; tenor?
Integer hic ipse & vitæ, insuetusq; nocendi,
Promptus & officijs, propositiq; tenax.
Quo non veri alius, quo non seruantior æqui,
Morte tamen cadit. heu nil benefacta iuuant.
Nam quis Senensi generi, & dilectior vrbi?
Quis toti latè notior Italiæ?
Italiæ sed quid ius respondisse tot annos,
Quid caste Senijs iura dedisse viris?
Omnia facta gratis. Exantlatiq; labores
Iuri tradundo, iustitiæq; gratis.
Proscelus, amentem reddit dolor improbus. ore
Exprimit eq; amens impia verba furor.
Pro dolor in scelus impellit dementia. Tantum
Sed tamen hoc patitur mentis egere nefas.
Cur ego non potius? nam quo me vita reseruat?
Quid mihi cur vltra viuere dulce putem?
Mæret quisquis adest tristi ore, siletq; recenti
Mæstitia, inq. hæret lumina fixus humi.

Deiectosq; animos, demissaq; pectora præfert,
  Vt locus hic præfert vndique tristitiem.
Cuncta atrata locis: atrans loca cuncta cupressus,
  Atratiq, omnes vir mulierq; simul.
Parietibus nigris depictæ mortis imago
  Admonitu mortis terribilem insinuat
Horrorem mortis: totumq; minatur adunca
  Falce recisuram quicquid vbiq viget.
Effussosq; oculos, & nuda tuentibus ossa
  Membra, comæq, gelu, frigidaq; ossa rigent.
O quam, ne tantum hunc luctum, causamq; viderem,
  Quam mallem hostiles non superasse dolos.
Cum mala gens studijs, & rebus pestis honestis,
  Inq; nimis nostrum perniciosa malum,
Vertere vt haud studijs fautorum, emptisq; lupinis
  Quiuit, in hoc struxit crimina falsa caput.
Scilicet inuidiam effugi, insidiasq; malorum,
  Hæc oculis daret vt pompa theatra meis?
Heu domus infelix, modo tot fælicibus aucta
  Diuitijs rerum, luminibusq; virum.
Nam cui plus rerum, præclaroruniq, virorum,
  Maioremue dedit maior honoris honos?
O pater, o superum & clari rex maxime olympi,
  Siste pater cladem hanc sistit vbi numerus
Tantorum fratrum. Et tanti Genitoris Alumnos
  Hos saltem geminos nobile par Iuuenes
Angelium fulcire velis genus: Alter vt ostro

 (Debi-

(Debita quæ claro præmia sunt generi)
Et Crucis & Patris sumptis insignibus, alto
Collegioq; Equitem, Gymnasioq; Patrem
Reddat: vbi Cruce se dignum tutatus & ostro,
Et Patris partes impleat, atq; Patrem.
Qualis & excultus meritis Pater hic bonus, Alter
Redditus antiquo Romulidum populo,
Restituat Romæ Angeliæ præconia laudis,
Restituat Romæ nomen & Angelium:
Iulum; Nicoleum Romæ, Cosmumq; reponens,
Seq; tribus quartum laude & honore parem
Defendens. Supraq; etiam conetur honestis
Factis, & magni dotibus ingenij.
Hac possum mercede graues finire querelas,
Frigentemq; domo hunc condere marmorea.
Tali fine dolor leuior clausisse senectam, hac
Claudere quando omnes fine necesse, senem.
Fletum siste dolor. circum de more Sacerdos
Corpus aqua, & turis lustrat honore pij.
Fletum siste; animæ vt requiem, pacemq; precatus
Componat digno corpus honore loci.
Iusta sepulturæ sed iam perfecta. relictus
Solus. dilapsi fæmina virq. domum.
Solus ego. lacrymis & adhuc rigor.ora. Sepulchro
Hæ lacrymæ extremis dent sua iusta notis.
IAcobi Angelij lapis hic tegit ossa. sed vna
Qui tegit ossa, Viri non capit acta lapis.

Magna referre velit nam ſi quis facta, quibuſq.
Dotibus excultus corpus & ingenium.
Magnus Eques, Magnus Conſultus iure quot ille
Percurrit libros, tot riget iſte libros.